

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Conuicium p
cum fonte primo

Ipsē
aperte inuidet, abiecte fingit, seruiliter superbit;
indicit ut dominus, exigit ut tyrannus,

calumpniatur ut barbarus;
tota die a metu armatus, ab auaricia ieiunus,
a cupiditate terribilis, a uanitate crudelis;

in consilio tacet, in ecclesia iocatur,
in ieiunio predicat, in cubiculo dampnat,
in questione dormitat.
Implet cotidie siluas latronibus,
uillas hostibus, altaria reis, carceres clericis.

Sydonius libro II. epistola prima.

Scitote in eo per dies spiritum
diu dissimulati furoris aperiri:
aperte inuidet, abiecte fingit, seruiliter superbit,
indicit ut dominus, exigit ut tyrannus,
addicit ut iudex,
calumpniatur ut barbarus;
toto die a metu armatus, ab auaritia ieiunus,
a cupiditate terribilis, a uanitate crudelis
non cessat simul furta uel punire uel facere;
palam et ridentibus conuocatis ructat
inter ciues pugnas, inter barbaros litteras;
epistulas, ne primis quidem apicibus
sufficenter initiatus, publice a iactantia dictat,
ab impudentia emendat.
Totum quod concupiscit quasi comparat
nec dat pretia contemnens
nec accipit instrumenta desperans;
in concilio iubet,
in consilio tacet, in ecclesia iocatur,
in conuiuio praedicat, in cubiculo dampnat,
in quaestione dormitat;
implet cotidie siluas fugientibus,
uillas hospitibus, altaria reis, carceres clericis;
exultans Gothis insultansque Romanis,
inludens praefectis concludensque numerariis,
leges Theodosianas calcans Theudoricianasque
proponens ueteres culpas,
noua tributa perquirat.

Sidonius Apollinaris, *Epistolae*, 2.1.2-3 (A.
Loyen ed., vol.2, pp.43-4).